

XLV. Anno domini millesimo trecentesimo vigesimo, indictione tertia die XIV Julij tempore domini Bartholomei Gradenico¹⁹⁴⁾ comitis Ragusii honorabili in suo tercio regimine in minori consilio, sono campane more solito congregato, captum fuit et deliberatum nemine discordante, quod omnes uolentes extrahere de ciuitate Ragusij petras coctas, possint eas extrahere et portare, tam per terram, quam per mare, soluendo comuni pro gabella dictorum lapidum coctorum medietatem plus, quam constiterint dicti lapides.

Anno dominico M. CCC. XX. VI. Indictione nona die XVI. Februarij.

XLVI. Nos Paulus Triuisano comes Ragusij cum uoluntate et expresso consensu minoris, maioris ac generalis consilij dicte ciuitatis et cum laudo populi in publica concione sono campane in plathea comunis more solito congregato statuimus et ordinamus, quod quelibet persona de Ragusio uel que pro Raguseo distingitur, que extrahet de Raguseo seu de aliqua alia ciuitate aliquas mercationes causa portandi uel mittendi ipsas ad aliquas partes de Romania uel ad Spalaturnum Tragurium seu Sebenicum uel ad partes de Vngaria teneatur soluere pro doana dictarum mercationum comuni Ragusij ypp. II. pro centenario.

XLVII. Item statuimus et ordinamus, quod omnes forenses undecunque uenerint Ragusium cum mercationibus, teneantur soluere comuni Ragusij de mercationibus, quas Ragusium adduxerint illem doanam, que accipitur hominibus de ragusio in eorum ciuitatibus et locis de mercationibus quas ad partes eorum deferrunt. Et si ipsas mercationes, quas adduxerint uel aliquas alias uellent extrahere extra Ragusium et ipsas ad aliquas partes Sclauonie uel alibi portare uel mittere uoluerint, teneantur de ipsis mercationibus, quas extraxerint facere et soluere doanam secundum formam statuti doane computatis hijs, que soluerint pro dictis mercantijs comuni introitum Ragusij victualibus dumtaxat exceptis.

XLVIII. Anno domini MCCCXXVI. Indictione nona die XXVII Februarij in minori consilio sono campane more solito congregato captum fuit et deliberatum, nullo discrepante, quod omnes Ragusei, qui uendiderint uel emerint aliquas mercationes in ciuitate Ragusii ab aliquo seu ab aliquibus forensibus illa eadem die, qua uendiderint uel emerint dictas mercationes, teneantur et debeant dare eas in scriptis doanerijs doane maioris sub pena in statuto doane contenta et specificata.

Item in dicto minori consilio captum fuit et deliberatum nemine discrepante, quod omnes forenses undecunque existant, uendentes uel ementes inter se aliquas mercationes in ciuitate Ragusij a X. yperp. sursum illa eadem die, qua uendiderint uel emerint, teneantur eas dare in scriptis doanerijs doane sub pena soluendi dupplam doanam.

¹⁹⁴⁾ Die Familien Gradenigo und Trevesino waren wie die Badoari venetianische Familien. Die Gradenigos waren Herren von Lemnos.